

ab orbe condito. Ita facti Apostoli in suo martyrio fuerunt excellentiores, in charitate, fortitudine, ac constantia super omnes. Ita etiam ad eorum dignitatem non spectat, quod fuerint primi in qualicunque observantia regulari votorum, sed ad eorum excellentiam pertinet, quod fuerint primi in exactissima, ac maxime perfecta observantia regulari votorum, ita ut in hac consummata excellentia excedant omnes, qui fuerunt, ac erunt ante, vel post eos, Christus Dominus non solum dicitur Sanctus, sed Sanctus Sanctorum, Daniel 9. nu. 24. quia ipse non solum erat Sanctus, sed quia ipse in altissimo sanctitatis apice extollitur super omnes creaturas. Rabbi Gerunden- sis apud Galatinum lib. 4. cap. 18. ait: Sanctus Sanctorum vocatur; erat ut in eo secundum humanitatem, omnes thesauri Sapientia, & scientia Dei requiescerent; eratque ipse super omnem creaturam oleo gratia, ac beneplaciti Dei. Expende illud super omnem creaturam, sic ad vestigiū Christi Apostoli non solum fuerunt iusti Sancti, Martyres, ac religiosi, sed in altissimo perfectionis vertice super omnes puras creaturas, Beatissima Maria Virgine excepta.

Daniel 9.
Gerunden- Galatinus.

QUESTIO XV.

Solvuntur argumenta, que sunt ex auctoritate negatiua Scripturae, & affirmatiua D. Thomae.

SUMMARIUM.

- 131 Argumentum Adversariorum.
132 Multis exemplis, ac documentis refellitur.
133 Explicatur mens Angelici Doctoris.
134 Multa loca Angelici Doctoris pro nobis.
135 In nullo loco facit contra nos.

131. Argumentantur contra nos Adversarii, quod si daretur in lege antiqua Monachus cum votis, esset quid valde celebre in illa antiquitate, ac proinde in aliquo libro Canonico de tali statu, ac votis fieret mentio, atqui de hoc nulla talis mentio extat, ergo est quid commentitium, & falsum.

132. Hoc argumentum multa, & dura involvit: nam ut notat Theophylus Raynaudus de Scapula, part. 2. quest. 1. §. Nimirum, qui communes traditiones recitit, & solum rescriptas querit, favet Calvino, ejusque sectatoribus, qui Ecclesiasticas traditiones reprobant, Deinde contra Adversarios hic pono argumentum: facti Apostoli fecerunt tria vota, ut docent D. Augustinus, D. Thomas, ut supra dixi quest. 5. A tempore Apostolorum accepimus signum crucis facere in fronte, ut testatur D. Basilius in epistola ad Iulianum Apostatam relata in 7. Synodo, art. 4. A tempore Apostolorum accepimus in consecratione Calicis, aquam vino miscere; ut testatur Alexander Papa in Concilio Tribur. cap. 19. A temporibus Apostolorum accepimus, quod Sacra Eucharistia non sumatur, nisi a jejunis, ut docent communiter Sancti Patres, D. Epiphanius lib. 3. contra ha-

D. August. D. Thom.

D. Basil.

Epiph.

reses, in fine. D. Gregorius Nazianzen. orat. 4. que est de Baptismo ad finem. D. Chrysostom. homil. 27. in primam Corinth. & multi alii Patres. A tempore Apostolorum accepimus Imagines Christi, ac Beatissimae Virginis, & Sanctorum effigiare, scilicet depingere, ut testatur Adrianus Papa in epistola ad Carolum Regem, relata ad calcem in 2. Synodo Nicena; a tempore D. Petri, ac aliorum Apostolorum accepimus, quod Sacrificium Missae celebretur peculiaribus vestibus sacris, ut testatur D. Anacletus Tertius Pontifex a D. Petro in sua prima epistola Decretali; & habetur ex cap. Vestes de consecratione, distinct. 4. A factis Apostolis est composita, & ordinata Oratio Angelica B. Virginis, ut ex multis dixi tom. 2. in Apocalypsim. cap. 2. 1. quest. 26 num. 3; 19. Sacrum quadragesimale jejunium, cujus initium igitur a temporibus Apostolorum manavit, ut docent Sancti Patres, D. Hieronymus epist. 56. ad Marcellam, sic ait: Nos unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno, tempore congruo jejunamus. D. Leo serm. 6. de Quadragesima, inquit, Apostolica institutio quadraginta dierum jejunium impletur. Idem indicant D. Epiphanius heresi 75. in fine. S. Ignatius epistola ad Philadelph. D. Clemens lib. 3. Constit. Apostol. cap. 12. Et tamen haec omnia, & multa alia nec in actis Apostolorum, nec in eorum Epistolis, nec in aliquo libro Canonico sunt scripta, ergo sunt falsa, & commentita; nullus Catholicus hoc dicet, nec habebit in mente, ergo necesse est fateri, quod tempore antiquo multa fuerunt multa celebrata habita, communi praxi, ac frequenti usu recepta, quae in libris Canonicis non continentur.

Adrian.

D. Anaclet. Thom. 2. Apoc.

D. Hieron.

D. Leo.

D. Epiph. D. Ignat. D. Clem.

Deinde obiciunt Angelicum Doctorem 3. part. quest. 28. art. 4. ubi ait, quod Sanctissima Virgo non fecerit virginitatis votum secundum mores illius temporis, nisi post desponsationem cum Joseph, ubi Sanctus Doctor loquitur non tanquam ex propria sententia, sed juxta mores illius temporis, ut exprimit; tamen communis est sententia, quod ipsa multo tempore ante desponsationem fecisset virginitatis votum, ut ex aliis locis D. Thomae colligitur, & docent multi Patres, Doctores, ac etiam Thomista. Sotus in 4. dist. 30. quest. 2. artic. 2. ad primum. B. Albertus Magnus de laudibus Mariae, Paludanus, & alii multi Doctores, quos citant, ac sequuntur Suarius tom. 2. ad 3. part. disput. 6. sect. 2. §. Dico ergo secundo. Vasquez tom. 2. ad 3. part. disputat. 124. cap. 4. num. 46.

133

Sotus. D. Albert. Paludan. Suar.

Vasquez.

Et quod Sanctus Doctor pro nostra sententia steterit, eique patrocinetur, patet ex multis locis ejus. Nam ipse 2. 2. art. 2. dum inquit: Utrum liceat Religiosis secularia negotia tractare? Respondet cum distinctione ad 3. dicens: Adire palatia propter pias causas competit Religiosis. Unde dicitur 4. Reg. 4. Quod Eliseus dixerit ad mulierem. Nunquid habes negotium? & vis ut loquar Regi, vel Principi militum? Si ex mente D. Thomae Eliseus non esset Religiosus, ad quid afferret eum in exemplum ad comprobanda facta licita Religiosorum, ergo ut doctrina D. Thomae sit efficax, ac valida, dicendum est, quod Eliseus ab eo censetur verè Religiosus, Idemque etiam comprobatur

134

D. Thom.

batur ex eadem quest. 19. art. 6. nam quaerens, Utrum liceat Religiosis vilioribus vestibus quam ceteris. Respondet affirmativè in argumento sed contra; & ait in hunc modum, Sed contra est, quod ad Hebraeos 12. Apostolus dicit, Circulerunt in melosis & pellibus caprinis; Glossa, ut Helias & alii. Ex hoc probat, quod Religiosis licitum sit talibus vestibus uti, quia Helias illis utebatur, & cur potius adducit in exemplum Heliam, quam quemlibet alium, nisi quia Heliam Religiosum judicabat, aliud argumentum esset omnino futile. Et corroboratur totus hic discursus ex eadem 2. 2. questione 184. art. 8. ubi adducit verba Divi Chrysostomi, quibus Heliam appellat monachum. Appellationem admittit, & approbat & etiam favet idem Angelicus Doctor, 2. 2. quest. 152. art. 3. ad 4. ubi ait Virginitas secundum quod est virtus, importat propositum voto firmitatem integritatis perpetuo servande Dum Elias, & Eliseus, ac discipuli ejus perpetuo virginitatem servarent, ut juxta sanctos Patres dictum est supra quest. 67. hinc sequitur ex ejus doctrina, quod firmitas voti in eis fuerit.

Nec obstant aliqua ipsius sancti Doctoris loca ex 1. 2. quest. 107. art. 2. & quest. 108. art. ultimo, & Opusculo 17. c. 4. & quod 1. 2. tom. 4. quest. 27. & 2. 2. quest. 188. art. 7. in quibus innuere videtur Christum Dominum fuisse primum Auctorem Religiosi status; seu Confessorum Evangelii, nam ut bene notat M. Lezana tom. 1. Annalium cap. 4. n. 13. ad finem. Nam haec & similia solum persuadent juxta dicta in superioribus, Christum Dominum fuisse primum exemplar, & finem monastici status in quocumque temporis articulo; imò & primum efficientem cum suis Discipulis; excellentissimae perfectionis, ac prerogativarum ipsius monachatus, prout in Evangelica lege maxime fulget, ac resplendet.

Lezana.

QUESTIO XVI.

Solvitur argumentum, quod fit ex necessitate regale clavium, ac approbationis.

SUMMARIUM.

- 136 Ponitur argumentum.
137 Praeter vota, & precepta non requiritur peculiaris regula, nec determinatus habitus.
138 Ad substantiam Religionis non requiritur potestas Clavium.
139 Argumentum ad validitatem Religionis requiritur acceptio ex parte Dei.
140 Acceptio negativa sufficit, & dabitur in Religione Prophetica; & n. 141.
141 Et etiam acceptio positiva dari poterat.
142 Elias ex Dei mandato; facit prophetas successores post se.

136. In hunc modum argumentum Adversarii. Religio est congregatio fidelium utriusque sexus tendentium ad perfectionem professione trium votorum substantialium, pau-

peratis, castitatis, & obedientiae observandorum usque ad mortem; ex quibus fit ut ad veram Religionem octo sint necessaria Paupertas, Castitas, Obedientia, Professio Habitus, Regula, potestas Clavium, ac Approbatio Superioris, ad veram consistentiam, ac permanentiam ipsius status; ne quisquam suo iudicio feratur.

Ad argumentum respondeo, quod illa tria vota darentur in antiquo monachatu satis probatum est supra. Professio nihil aliud est, nisi promissio ipsorum votorum. In professione enim dicimus: Promitto Deo obedientiam, paupertatem, &c. Ad id quod dicitur de Habitu, advertat vulgare Proverbium, Habitus non facit monachum; & Christus Dominus instituens perfectissimam Religionem in suis Apostolis, nullam certam habitus formam eis dedit. Hinc sanctissimus Patriarcha, D. Ignatius instituens Sacram Societatem Jesu, nullam certam formam habitus praescripsit, ut constat ex parte 6. Donis cap. 2. num. 15.

137

Vulgare. Proverbium

Constitutio Societatis.

138. Lessius. Bassaeus.

Ad id, quo dicitur de Regula, Lessius lib. 2. cap. 41. num. 9. & ex eo rescribit Bassaeus Capucinus 1. 1. Relig. n. num. 5. & ait. Ad essentialitatem status Religiosi non requiritur regulam, praeter eam, quae divinis mandatis, & ipsis votis continetur, quia haec absolute sufficiunt, ut ducant hominem ad perfectionem. Confirmat, quia ad reliqua non est obligatio in singulari praesertim essentialis; potest enim quis eximi à choro, ab esu carniū, &c. Sed quia Papa non consuevit hujus status approbare sine regula, ideo ea est necessaria, non per se, sed per accidens. Ad approbandam Religionem Papa requirit Regulam, ut sciat ad quem finem Religio ordinatur, & quem vivendi modum habeat, & in quo distinguatur à ceteris, hoc tamen est per accidens, & non ad substantiam Religionis, Deinde dicat mihi; Christus D. in suis Apostolis instituit veram Religionem, & quero, quam regulam eis dedit; nullam aliam, nisi ipsamet vota cum consiliis Evangelicis. Sic & ego dicam, quod Elias dedit suis discipulis pro regula ipsamet vota, cum decretis, ac dispositionibus veteris testamenti, & insuper sunt graves Auctores, ut sapientissimus Hieronymus Gavara ex sacra Societate Jesu tom. 1. in Matth. qui affirmant Eliam scripsisse regulam, quam tradidit filiis Prophetarum, de qua infra quest. 18. Suar. tom. 3. de Religione lib. 2. cap. 15. existimat, propter vota ad conservationem Religionis requiritur aliquas observationes peculiare, sed haec in ipsis votis continentur virtualiter, vel ex ipsis deducuntur.

Gavara.

Suar.

139. Suar.

Basilus.

Quantum ad potestatem clavium, quae tangitur in argumento, Vasquez 12. disp. 165. cap. 4. contendit ad substantiam status requiri potestatem clavium ad bonam ejus gubernationem. At quod talis potestas clavium non requiratur ad substantiam Religionis est multo verior, & communior sententia, & eam satis doctè probat Mag. Basilius de Leone lib. 7. de Matrim. cap. 5. num. 22. Et probatur, quia tota substantia status Religiosi consistit in traditione, ac acceptione personae, sed hoc sufficienter per vota fit; ergo potestas clavium

Sanchez Palaus

non requiritur, ut observant Sanchez in opere mirabili lib. 5. cap. 4. n. 76. & 78. Castro Palaus citatus statim Quantum est ex jure nisi peculiaribus constitutionibus impediatur, Abbatissa non est capax jurisdictionis spiritualis, & tamen potest recipere ad habitum, ac professionem; videtur supponi cap. consultit, qui cleric. vel voto. Et in tali professione datur vera substantia status religiosi.

140.

Ad id, quod dicitur de approbatione, constanter asseritur, quod ad Religionem requiritur approbatio a superiori, quia tota substantia Religionis consistit in traditione, ac acceptatione ex parte Dei, atqui nemo nomine alterius potest aliquid acceptare, nisi per commissionem, & potestatem sibi factam ad talem rem. Hæc potestas ex parte Dei a nemine potest dari, nisi ab Ecclesia, quæ eam immediate accepit a Christo; ergo in lege antiqua cum non daretur talis potestas, non poterat dari vera acceptatio ex parte Dei, nec approbatio veræ Religionis.

141.

Innoc. III. Greg. X.

Respondet, & non loquimur prout in præfati res se habet post Concilium Lateranense sub Innocentio III. & Lugdunens. sub Gregorio X. Quæ Concilia requirunt approbationem Religionum: sed loquimur tempore antecedenti, quoad Religionem antiquas: & duplex potest esse approbatio. Una negativa, & altera positiva. Negativa est, quod verbi gratia Papa, vel Episcopus, ad quem pertinebat Religionem approbare, videbat novam Religionem exurgentem, nec contradicebat, nec repugnabat, sed consentiebat, & permittebat. Et hanc approbationem esse sufficientem, & fuisse in multis Religionibus antiquis tenet M. Basilius de Leone lib. de Matrim. cap. 11. & citat D. Thomam 2. 2. q. 188. art. 1. ad 4. quem locum invenire non potui forte ex errore typographi; & citat Bellarm. tom. 2. lib. 2. de Monach. cap. 4. Medina lib. 4. de continentia contr. 7. c. 8. §. sed eam. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 2. §. num. 10. Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 23. quest. 1. Quibus addendi sunt Trichemius de laudibus Carmelit. cap. 5. Mag. Carthagena tom. 3. lib. 17. homil. 2. Castro Palaus tom. 3. tract. 16. disp. 1. punct. 1. num. 8. Et ait: In Ecclesia multa fuerunt Religiones absque expressa Pontificis approbatione, sola Episcoporum approbatione, vel illorum non repugnantia. Quia acceptationem, quæ fiebat in votis, dum Ecclesia non contradicebat, sed potius illi consentiebat, videbatur nomine Dei acceptare: quod idem dicimus de Religione instituta ab Elia per respectum ad antiquum Pontificem.

Basili. D. Thom.

Bellarm. Medina. Sanchez. Azor.

Trichem.

Carthag. Palaus.

142.

Approbatio positiva fit per actum, vel verba positiva, pro quo supponendum est, quod in Pontifice antiquo dabatur potestas spiritualis ad discernendas res pertinentes ad fidem, Religionem, ac mores, Deuteron. 17. num. 8. Si difficile, & ambiguum apud te iudicium perspexeris, ascende ad locum, veniesque ad sacerdotes, Malach. 2. num. 7. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius; & multis aliis locis. Et Christus D. Matth. 23. num. 1. Ita Bellarm. de Romano Pontifice lib. 4. cap. 3. & lib. 3. de verbo Dei c. 4. & lib. 3. de Ecclesia c. 17. Suar. de fide disp. 5. sect. 5. n. 2. disp. 9. sect. 2. & multis in locis

Deuter. 17. Malach. 2.

Matth. Bellarm.

Suar.

contra Regem Angliæ. Valentia 2. 2. disp. 1. quest. 1. punct. 7. §. 43. Bañez 2. 2. tom. 1. quest. 1. Valentia art. 10. dub. 2. conclus. 4. Lyranus, Abulens. Bañez. Lorinus, Cornelius ad locum Deuteron. Et Lyranus, Abulens. Lorinus, Cornelius in hac Conclusionem conveniunt omnes Catholicos ad tuendam auctoritatem Romani Pontificis contra Hæreticos, & Lutheranos quia Deus, ut optimus Gubernator, ac Provisor, semper in Ecclesia sua dedit regulam, & viam, propter humanos casus sæpe occurrentes. Hæc regula in illo populo inveterato fuit Summus sacerdos; non verò modò in Ecclesia Christi est Romanus Pontifex, ut ex multis probant Bellarminus Suarez & alii Bellarm. citati; & satis Late M. Lezana in Consult. ul. Lezana. tom. 2. n. 14.

Fuit ergo Religio instituta ab Elia, approbata ab ipso Summo capite, vel permissivè, & non repugnante, ut dixi, vel positivè per verba & actum positivum approbationis. Et Deus mandavit magno servo suo Elia ut ungeret Elisæum in Prophetam & sui successorem sic enim dixit ei Deus, Elisæum filium Saphat, unges Prophetam pro te 3. Reg. 19. n. 19. ubi post Joannem, Hierosolimitanum, ac alios recte ait Sallianus anno 127. num. 23. Sallianus. Eliam Divino Decreto & jussu elegisse Elisæum in Prophetam, & successorem, Patrem, & Propositum disciplina Religiosæ cui secundum Deum obedirent. & M. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 6. lib. 2. cap. 10. ait, Ex quo Elisæus jussu Dei vocatus est ab Elia, & illum sequi cepit, ei perpetuo ministravit, 3. Reg. 19. usque ad 4. Reg. 2. In hujus rei signum filii Prophetarum venerunt in occursum ejus, eumque adoraverunt, & tanquam caput, & principalem Prophetam, Eliaque successorem agnoverunt. Sic & fere omnes nostri Doctores, ex eo quod dicitur Ecclesiast. 48. num. 8. de Elia: Qui facis successores post te: Tam in spiritu prophetico, quam in disciplina Religiosæ, quod inter cæteros Prophetas soli Elia datum est, ut supra dixi Resolut. 1. quest. 2. n. 39. & 40.

143.

3. Reg. 19.

Suar.

3. Reg. 19.

Ecclesiast. 48.

QUESTIO XVII.

Solvuntur tria alia argumenta.

SUMMARIUM.

- 144. Primum argumentum ad vota facienda in lege antiqua requirens revelationem.
- 145. Osenditur divinam gratiam magnos effectus operari.
- 146. Beata Virgo habuit revelationem, non ob difficultatem virginis, sed ad severitatem; quod per desponsationem sua purissima virginitas in nullum periculum veniret.
- 147. Ponitur secundum argumentum.
- 148. Henoch, de quo fit mentio in Bullis Apostolicis, diversus est ab illo, qui erat ante Diluvium.
- 149. In Samuele jam cepit quoddam delineamentum status Religiosi.
- 150. Tertium argumentum, in ejus solutione osenditur ex Waldensi inter filios Prophetarum variis fuisse gradus perfectionis ac disciplina Regularis, & n. 151.

Omnem

144.

Omnem lapidem admovent Adversarii contra nos. Et primò sic opponunt. In illa lege antiqua facere votum perpetuum, ac per totam vitam ob illius imperfectonem, erat quid valde difficile, inde ad hoc requirebatur specialis revelatio, & cum de hac non constet, nec potest constare assertum de tali voto. Major est certa, minor probatur, quia à multis magnis Auctoribus asseritur, quod sanctissima Virgo Maria habuerit revelationem ad edendum suum virginis votum; ergo si hæc revelatio admittitur in B. Virgine, à fortiori in aliis.

145.

Respondet quod quamvis hujusmodi vota essent difficillima pro tali tempore, ad ipsam difficultatem superandam, satis erat divina gratia, ut ad multa majora, ad subeundum martyrium, ut in multis patet; ad resistendumque contra crudelissimos tyrannos Achab, ac Jezabelem persecuentes, ac interficientes Dei fideles, qui Baal non adorabant, ut necesse fuerit eos confugere ad montes, ac speluncas, ut Elia dixerit Abdias. Nunquid non indicatum est tibi, quid fecerim, cum interfecisset Jezabel Prophetam Domini, quod absconderim de Propetis Domini centum viros quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & pavimus eos. 3. Reg. 18. num. 13. Et hoc in tanto numero ut dicat Deus Elia, Dereliqui mihi in Israel septem millia virorum, quorum gens non sunt curvata ante Baal 3. Reg. 19. num. 18.

3. Reg. 18.

3. Reg. 19.

146.

Durand. Abulens.

Suar.

Vaquez. Novatus.

147.

Circa id, quod tangitur in Confirmatione de voto virginis sanctissimæ Virginis, quo tempore illud emiserit, variæ sunt sententiæ. Quidam, ut Durandus, Abulensis, post contractum matrimonium cum Joseph, licet semper habuisset propositum virginis, alii dicunt, quod emiserit votum ante contractum matrimonium, tamen quod fuisset votum conditionale, nisi aliud Deus statuerit. Tamen vera, communis, ac certissima sententia, quod ante desponsationem, ac in prima infantia fecerit votum absolutum, & perfectissimum, ita Scotus Henriquez, & multi alii juxta mentem sanctorum Patrum, & tunc Auctores hujus sententiæ optimo jure dicunt, quod ipsa sanctissima Virgo habuisset revelationem ad tale votum edendum, non propter difficultatem ipsius voti, ac virginis, sed quod cum esset sub tutela suorum parentum; habuit revelationem à Deo, quod per desponsationem futuram, ejus virginitas in nullum discrimen, ac periculum veniret: non enim est credendum, quod ipsa sanctissima Virgo consenserit, ut fieret sponsa hominis, nisi divinitus agnovisset, nullum adfuturum periculum suæ virginis violandæ in tali matrimonio contrahendo. Ita Suar. to 2. ad 3. part. disp. 6. sect. 2. §. Dico ergo secundo. Valquez tom. 2. ad 3. part. disp. 124. cap. 4. num. 77. Baptista Novatus de eminentia Virg. tom. 1. cap. 6. quest. 5. Revelatio ergo facta est, non ob difficultatem in voto virginis, sed ob securitatem extra omne periculum in servanda virginitate in desponsatione de qua fecerat votum.

Secundum argumentum. Si dicimus monachatum incepisse in Elia, eodem modo dici potest, quod incepit in Henoch, de

quo dicitur Genes. 4. num. 26. Iste cepit in voce. Genes. 4. care nomen Domini. Quod à multis intelligitur, quod iste primus cepit congregare hominum cœtum ad laudem Dei dicendam ac decantandam. Et de isto Henoch videtur facere mentionem Julius 11. in sua Bulla, Julius II. cum ait, Sanctorum Patrum Elia, & Elisai, & Henoch, qui montem sanctum Carmeli juxta fontem Elia inhabitaverunt, hereditariam successorem venientes. Et idem etiam dici potest de Samuele; de quo scribitur 1. Reg. 19. n. 20. quod congregavit multitudinem Prophetarum.

148.

Respondetur, argumentum nullius esse ponderis; nam Henoch de quo fit mentio in Bullis Apostolicis, alter distinctus est ab eo, qui fuit ante diluvium, & hoc patet ex ipso contextu, quia, si de illo antiquiori esset sermo dicendum erat: Sanctorum Patrum Henoch, Elia, & Elisai ratione antiquitatis prior erat ponendus ante Eliam, & Elisæum; atqui postponitur, ergo alter multo tempore post illos fuit; ergo iste alter distinctus. Incola Carmeli, qui ad prædicationem Joannis Baptistæ una cum Andrea Apostolo, ac Joanne Evangelista secutus est D. JESUM CHRISTUM, & postea comes extitit D. Marci ad Alexandriam, ejusque prædicationis adjutor; & quod fuisset Incola Carmeli patet ex bullis Pontificiis, ubi Henoch refertur inter cæteros Patres, qui montem sanctum Carmeli juxta fontem Elie inhabitaverunt. Ita Paleonidorus lib. 2. cap. 1. Didacus Coria in historia Carmelitana lib. 7. cap. 1. Lezana in Annalibus tom. 2. anno Christi 362. n. 24. & anno 45. n. 9. vinea Carmeli. num. 144.

Paleonidor. Coria.

Lezana.

Vinea Carmeli.

149.

Ad id, quod apponitur de Samuele dicimus, quod ibi jam cepit, veluti quoddam primum delineamentum status religiosi, dicitur enim citato loco 1. Reg. 19. n. 20. quod licetores Saul, viderunt cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, id est, ut exponunt Lyranus, Abulensis, Sanchez, id est presidentem eis, Samuel quidem instituit quoddam Collegium Prophetarum in Najoth Ramata, & forte in aliis locis, in quibus jam erat aliquale vestigium, & valde remorum hujus status; nam Samuel non vivebat in castitate religiosa, habebat enim filios; Factum est autem cum senesisset Samuel, posuit filios suos judices, & non ambulaverunt filii ejus, in viis ejus. 1. Reg. 18. num. 1. Deinde erat judex populi, illiusque gubernator, ac caput, ac proinde cum apparatu, & quamvis interiorius poterat habere paupertatem spiritus, tamen exterius saltem in populo rudi non multum erat documentum religiosæ paupertatis, unde perbellè dixit Bellarm. tom. 3. lib. 2. c. 9. §. Nos ergo, sic ait Dicimus itaque primum, virum religiosam adeo esse antiquam, ut quoddam ejus adumbratio fuerit in lege nature ante diluvium, majorque expressio in lege Moysis, perfectior autem Apostolorum tempore.

Lyranus. Abulens. Sanchez.

1. Reg. 18.

150.

Tertium argumentum. Filii Prophetarum non vivebant cum castitate, ergo in eis non dabatur verus status Religiosus Antecedens probatur. Dicitur 4. Reg. 4. num. 1. Mulier autem quædam de uxoribus Prophetarum clamar. Et Elisæus dixit Giezi, Sed & lepra Neaman adhaereat tibi, & semini tuo 4. Reg. 5. num. 27.

4. Reg. 4.

4. Reg. 5.

num. 27.